

stipulationibus: in reliquis rebus que ex scripto aguntur: posse controuersias easdem existere. Horum tractationes in aliis libris explicantur. Nec soluz ppetue actiões: sed et ptes orationis iisdem locis adiuuant ptijs ppijs: ptijs cõibus. At in principiis quibus ut beniuoli. ut dociles. ut attentis sint qui audiant. efficiendum est propriis locis: Itemqz narrationes. ut ad suos fines spectent idest ut plane sint: ut breues. ut euidentes. ut credibiles: ut moderate. ut cum dignitate. Que q̄q̄ in tota oratiõ de bent esse. magis sunt propria narrandi. Que autẽ sequitur narrationem. fides ea persuadendo. quoniam perficitur qui ad persuadendum loci maxime valeant. Dictum est in his. in quibus de omni ratione dicendi. peroratio autem et alia quedam habet: et maxime amplificationem. Cuius effectus hic debet esse. ut aut perturbentur animi aut tranquillentur. et si ita iam affecti ante sint. ut augeat eorum motus. aut sedet oratio. Huic generi in quo et misericordia et iracundia et odium et inuidia et cetera animi affectiones perturbantur: precepta supeditantur alijs libris quos poteris mecum legere cum uoles. Ad id autem quod te uelle senseras cumulate satisfactus esse debet uoluntati tue. Nam ne preteriret aliquid quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret plura quam a te desiderata erant. sum complexus. seciqz quod sepe liberales uenditores solent. Ut cur edes fundum uendiderint ruti cesis receptis. Concedant tamen aliquid emptori quod ornandi causa apte. et loco positum esse uideatur. Sic tibi nos ad id quod quasi mancipio dare debuimus. ornamenta quedam uolumus non debita accedere.

Finis Topice.

Eiusdem de differentijs Topicis liber primus.



Omnis ratio differendi quã logicen peripatetici ueteres appellauerunt in duas distribuit partes: unã inueniendi: alterã iudicandi: Et ea quidẽ pars que iudicium purgat: atqz instruit: ab illis analyticè uocata est: a nobis potest re solutoria nũcupari. Ea uero que inueniendi facultatẽ subministrat: a grecis topice: a nobis

localis dicitur. Ac de illa quãdam parte que iudicandi magistra est: alias disputabitur. Nunc uero consiliũ est aperire que sint loci: et que eorum dicitur qui et quibus apti sint syllogismis. Nec id simpliciter atqz uniformiter uel esse faciendũ: uel duplex est tradenda partitio: una quãdam a grecis uoluminibus eruta. Altera uero ex. M. T. topicis sumpta. Atqz in his illud ad perfectionẽ speculationis est astruendũ: ut quibus utraqz modis diuisio differat: quibusqz conueniat explicet quoqz modo. altera

alteram uicissim possit includere. et nunc quidẽ nõ in singulis imorabimur: sed de tota diuisione cõiter differemus. Locorum tamen ex quibus argumenta nascuntur diuisiones: exẽpla dicitur colligentes. Singula uero pro qualitate opis diligentius in his. viii. uoluminibus expedita sunt: quibus Aristotelis topica in latinã uertimus orationẽ: uel his. vii. quibus. M. Tullii Topicis lucẽ plene expositionis infudimus Illic igitur cuncta sunt proprijs atqz enodatis partibus expedita. Hic uero que alias per mēbra patefacta sunt: cõi speculatione tractant. Nec dialecticos solũ locos: sed et rhetoricos quos ubi inter se atqz a dialecticis differat: cura est erequedi: ut oibus uindiqz locis plena cõsideratõe propositis eorũqz dicitur inter se et cõitibus pernotatis et argumentorũ copia comparetur et locorũ clara possit esse distinctio. Ut igitur cuncta perspicuis rationibus constent: paulo altius ordiendũ est. Propositio est oratio uel falsum uel significans: ut si quis dicat celũ esse uolubile. hec et enunciatio et proloquiũ nũcupatur. Questio uero est in dubitationem ambiguitatẽqz adducta propositio: ut si quis querat: an celũ sit uolubile. Conclusio est argumētis approbata propositio: ut si quis celum ab alijs rebus probet eẽ uolubile. Enunciatio quippe siue sui tamen causa dicitur: siue ad aliud afferatur approbandũ propositio est: si de ipsa queratur que sitio est: si ipsa est approbata cõclusio est. Idẽ igitur est propositio questio et conclusio: sed differunt modo supradicto.



Argumentum est ratio rei dubie faciens si dicitur. Nõ uero idẽ est argumentũ et argumētatio. Nam uis siue ratioqz ea que clauditur oratione cum aliquid probat ambiguum argumentũ uocatur. Ipsa uero argumenti elocutio: argumentatio dicitur. Quo fit ut argumentum quidẽ uirtus et mens argumentationis sit atqz siue. Argumētatio uero argumenti per orationẽ explicatio. Cocus autem sedes argumenti uel id: uel ad propositã questionem conueniens trahitur argumentũ. Que cum ita sint: singulorũ nã diligentius tractanda est: eorũqz per spēs ac mēbra figuratqz diuisio facienda. Ac prius de propositione dicendũ est. Hanc esse diximus orationem uel uel mendatiũ continentẽ. Huius due sunt spēs affirmatio una: altera uero negatio. Affirmatio ut si quis sic efferat celum esse uolubile. Negatio si quis ita pronunciet celũ uolubile non esse. Hanc uero alie sũt uniuersales: alie particulares: alie indefinite: alie singulares. uniuersales ut si quis ita proponat. ois hõ iustus est: nullus hõ iustus est. Particulares uero ut si quis hoc modo dicat. Quidã hõ iustus est. Quidam hõ iustus non est. Indefinite hoc modo. homo iustus est. hõ iustus non est. Singulares uero que indiuiduũ: aut quid singulare proponunt: ut Lato iustus est. Lato iustus nõ est. Et. n. Lato indiuiduus est ac singularis. Harum uero alias predicatiuas: alias conditionales. Cõdicatiue sunt que simpliciter proponuntur. i. quibus nulla uis conditionis adiungitur: ut si quis celum esse uolubile simpliciter dicat. At si conditio huic copuletur: fit ex duabus propositionibus una conditionalis hoc modo. Celum si rotundũ est uolubile est. Id enim conditio hec efficit: ut ita deum celum uolubile esse intelligatur si sit rotundum. Quoniam igitur alie propositiones predicatiue sunt: alie conditionales: predicatiuarum partes terminos appellamus hi sunt predicatus terminus et subiectus. Terminos autem uerba uocantur et nomina quibus propositio connectitur: ut in ea propositione qua dicimus. homo in

flus est: hec duo nomina. i. iustus et homo propositionis partes vocamus: eadem et terminos dicimus. Quorum quidem alter subiectus est: alter predicatus. subiectus est terminus qui minor est: predicatus vero qui maior est: ut in ea propositione qua dicitur homo iustus est. homo quidem minus est quam iustus. Non enim in solo homo esse potest iustitia: verum et in incorporeis substantiis diuinisque. Atque ideo maior est terminus iustus homo vero minor. quo fit ut homo quidem subiectus terminus sit iustus vero predicatus. Quia vero hominum propositiones simplices alteri habent predicatum terminum: alterum vero subiectum a maioris privilegio partis predicativa propositio vocata est. Sepe autem evenit: ut hi termini sibi inuicem inueniantur equales hoc modo. homo risibile est. homo namque et risibile uterque sibi equus est terminus. Nam neque risibile ultra hominem porrigitur: neque homo ultra risibile. Sed in his necesse est hoc evenire. ut si quidem inequales termini sint: maior semper de subiecto predicetur. Si vero equales uterque conuersa predicacione de se dicatur: ut vero minor de maiori predicetur: in nulla propositione contingit. Cui fieri autem potest ut propositionum partes quas terminos dicimus non solum in nominibus: verum in orationibus inueniantur. Nam sepe oratio de oratione predicatur hoc modo. Socrates cum Platone et discipulis de philosophia ratione pertractat. hec quippe oratio que est cum Platone et discipulis subiecta est. Illa vero que est de philosophia ratione pertractat predicatur. Rursus aliquando nomen subiectum est: oratio predicatum hoc modo. Socrates de philosophia ratione pertractat. hic enim Socrates subiectus solus est: oratio vero qua dicimus de philosophia ratione pertractat predicatur. Euenit et ut supponatur oratio: et simplex vocabulum predicetur hoc modo. Similitudo cum superioribus diuinis substantiis iustitia est. hec enim oratio per quam profertur similitudo cum superioribus diuinis substantiis subiicitur: iustitia vero predicatur. Sed de huiusmodi propositionibus in his commentariis: quos in *περί ἑρμηνείας* Aristotelis libro conscripsimus: diligentius differuimus. **C**onditionalium vero propositionum quas greci hypotheticas vocant: partes sunt simplices propositiones. Quare propositionis hypotheticæ pars quidem ea que prius dicitur antecedens: que posterius consequens appellatur: ut in hac propositione que dicitur. Si celum rotundum est volubile est. Rotundum esse antecedit volubile esse consequitur. Harum quoque alie simplices conditionales: alie vero coniuncte: simplices sunt que predicativas habent propositiones in partibus: ut ea est que superius diximus. Si celum rotundum est volubile est. Rotundum est enim et volubile est: uterque diuise ac singillatim intellectu predicative sunt. Coniunctæ vero multiplex differentia est: de quibus in his voluminibus diligentissime persperimus: que de hypotheticis composuimus syllogismis. Simplicium vero hypotheticarum propositionum quattuor sunt differentie. aut enim ex duabus affirmatiuis categoricis consistunt ut si rotundum est: volubile est. utraque enim affirmatiua est: aut ex duabus negatiuis: ut si celum rotundum non est: volubile non est. Nam rotundum non esse et volubile non esse: utraque negationes sunt: aut ex affirmatiua et negatiua: ut si quadratum est volubile non est. Quadratum enim esse affirmatio est: volubile non esse negatio est. Aut ex negatiua et affirmatiua: ut si rotundum non est: stabile est. Rotundum non esse negatio est: stabile vero esse affirmatio. **C**onpro-

positionum quoque alie sunt per se note: et quarum probatio nequeat inueniri: alie quas tametsi animus audientis probet easque consentiat: tamen possunt aliis superioribus approbati. Et ille quidem quarum probatio nulla est: maxime ac principales vocantur: quibus illas necesse est approbati: que ut demonstrari valeant: non recusant. Est autem maxima propositio ut hec: si de equalibus equalia demas. equalia que relinquuntur sunt. Ita enim hoc per se notum est: ut aliud notius quo probari valeat: non possit esse. Que propositiones cum fidem sui nam gerant: non solum alieno ad fidem non egent adiumento: verum ceteris quoque probationis solent esse principium. Igitur per se note propositiones: quibus nihil est notius: indemonstrabiles: ac maxime et principales vocantur. Que vero quibus audientis iudicio comprobentur: habent tamen aliquid notius naturaliter: ex quo si de eis fiat questio: velut ex alieno fidem capiant: hec demonstrabiles ac minores posterioresque dicuntur. Et de propositionibus quidem ista sufficiant. **Q**uestio vero dubitabilis est propositio in qua necesse est eadem fere omnia considerari: que dudum in propositione dicta sunt. Alie namque sunt simplices: alie compositæ. Simples ut hec que ex simplici propositione descendunt hoc modo: ut si quis dicitur: an sit celum volubile. Hec enim ab ea venit propositione que dicit esse celum volubile. At si ex conditionali composita propositione principium sumat: ipsa erit conditionalis atque composita hoc modo. an si celum rotundum est volubile est. hec namque a conditionali propositione sumpsit initium que est. Si celum rotundum est: volubile est. Et questio ergo alia quidem predicativa est: alia conditionalis. Quo fit ut eadem sint partes quoque questionis: que dudum esse dicte sunt propositionis. **C**onpredicative igitur questiones habent terminum predicatum atque subiectum: ut in ea qua dubitatur: an celum sit volubile. Nam volubile predicatur: celum vero subiectus est. Maior enim est terminus volubile quam celum. Neque enim solum celum volubile dici potest: que vero coniuncta est questio. habebit partes que antecedit: et quod sequitur: ut in ea que dicit: an si celum rotundum est volubile est. Antecedat quidem rotundum esse. sequitur vero volubile esse. Que cum ita sint: in predicatiua sola questione dubitatur: an subiecto termino predicatus inherereat. In hypotheticis vero questionibus id tamen queritur: an illam rem que precedit: comitetur id quod sequens esse proponitur. Omnia vero que de predicatiuis propositionibus dicta sunt. id est que alie vniuersales: alie particulares: alie indefinite: alie singulares: eadem dici et in predicatiua questione conuenit. **H**oc enim tamen questio a propositione diuersa est: que propositio vel enunciatiua simpliciter: vel aliud probans oratio est: verum: falsum si significans. **Q**uestio vero cum sit ipsa quidem oratio: tamen est dubitabilis propositio. Addita igitur dubitatione que in propositione considerantur: eadem et conuenit in questione tractari. **Q**uestionis autem due sunt species: vna que dicitur a dialecticis thesis: hec huiusmodi est: que de re ceteris circumstantiis nuda querat ac differat. Quales a dialecticis maxime ad disputationem sumuntur: ut voluptas ne summum bonum sit. Ducenda ne vixor: hec a nobis propositio vel propositum dicitur. Altera vero est que vocatur a grecis hypothetis: a nobis dicitur causa: hec questio est personis temporibus factis ceterisque circumstantiis implicita ea est hominum. Iure ne Licero in exilium dubio. **R.** **P.** tempore detrudat quia iniussu Ro. populi ciues. **Ros** manos

minus necauerit. Minus autem duplicis questionis subdiuisiones alias esse necesse est: et thesis quidem philosophis: hypothesis vero oratoribus attributa est. Sed eius quidem questionis que est hypothesis posteriorius diuisiones dabo. Cuius vero de thesios diuisione pertractabo que in quatuor diuiditur species. In omni enim dialectica questione predicatiua dubitatur: an ei quod subiectum est: id quod predicatur inbereat. Cum vero aliquid alicui esse proponitur: id aut maius erit eo de quo predicatur eius substantialiter inesse contenditur. Aut maius quod eo erit: sed non de eius substantia predicabitur: aut ei erit equale: et in substantia predicabitur: aut ei erit equale: et minime eius substantiam continebit. Nam ut id quod minus est de eo quod maius est: predicem fieri non potest. Sed si tale est quod in questione proponitur ut subiecto sit maius: et de subiecti substantia predicet erit genus. omne enim genus est maius eo de quo predicatur: et de substantia eius dicitur: ut animal hominis. At si maius quidem fuerit: sed minime de substantia eius predicetur: erit accidens: ut album homini quod si equale quidem sit: sed substantiale: subiecti erit diffinitio: ut animal rationale mortale homini: hec namque conuertitur: et subiecti. i. hominis substantiam monstrat. quod si equale quidem sit sed a ratione substantie seiuinctum erit proprius: ut risibile homini. Itaque dialectice simplices questiones: aut de genere: aut de accidente: aut de diffinitione: aut de proprio sunt. Possunt vero fieri etiam de differentia: cum queritur celestia corpora an rationalia sint necne: vel cum dubitatur ea ne sit tyranni ac principis differentia quod hic legibus sumpsit imperium: Ille violenta dominatione populum premit. Sed tantum est de differentia querere: quantum si de genere dubitetur. Aut enim constitutiua erit differentia: aut diuisibilis. Sed si constitutiua fuerit: quasi generis obtinet locum ut rationalitas homini: vel si ratione degunt celestia corpora: celestibus quoque corporibus. At si diuisibilis velut species consideratur: omnis enim species cum diuisibili differentia est: quod si differentia nunc quodam generis: nunc vero speciei loco est: ambigi non potest: cuius de ea queritur de genere dubitari. Accidere vero potest ut aliquid in certamen comparatione ducatur: velut cum ambigitur: an melior sit fortitudo iustitia. Sed hec questio in accidentis necesse est dubitatione ponatur. Namque ad comparationem nihil nisi accidens venit: hoc enim solum recipit magis et minus. Cuius potest fieri de eo quod est idem certamen: ut an idem sit utile quod honestum. Sed hec questio diffinitioni est agreganda. Quarum enim rerum eadem est diffinitio: ipse quoque sunt eadem. Quarum vero diuersa substantie ratio est: ipse etiam sunt diuersae. Igitur simplicis dialectice questionis recte quatuor species esse dicuntur: de quibus sufficienter dictum est. Cuius igitur de conditionalibus questionibus tractandus est: quarum quod alie constant ex affirmatiuis duabus: alie ex duabus negatiuis: alie ex affirmatiue et negatiue: alie ex negatiue et affirmatiue. Si igitur ex duabus affirmatiuis conditionalis constat propositio: id queritur an affirmatio affirmationem sequatur. quod si ex duabus negatiuis propositio iuncta sit: id in decertatione est: an negatio negationem comitet. quod si ex affirmatiue et negatiue: vel negatiue et affirmatione copulet id ambigit: an affirmationem negatio: an affirmatio negationem comitet. Ac prius quidem eius questionis diuisio facienda est: in qua disceptat: an affirmationem affirmatio consequatur que

predicatiuarum questionum non effugit diuisiones. Nam ut precedat aliquid et aliud consequatur: in his fere rebus euenire solet quod paulo superius commemoravi. Spem quippe sequitur genus vel differentia vel diffinitio vel proprium vel inseparabile accidens. Item proprius aut diffinitionem sequitur species. proprium vero sequitur differentia et diffinitio: et diffinitionem sequitur proprium vel differentia hoc modo. Nam si homo est animal est. et si homo est rationale est. et si homo est animal rationale et mortale. est et si homo est risibile est. Si etiops est niger est. Si risibile est homo est: si animal rationale mortale est: homo est. Si risibile rationale est. Si risibile est animal rationale mortale est: risibile vel bipes est. Preter hec autem alias quidem effectus causa: alias quod effectum causa sequitur: effectus causa ita. Si sol prelo est lucet: effectum causa hoc modo. Si quid crustum est ignis affuit: vel sic. Si sol videtur lucet. Item totus sequuntur partes: ut si integra domus est: et tectum et parietes et fundamentum consistunt. Modus etiam sequitur nomen principale: ut si iustitia bona est: et quod iuste bonum est. Nomen etiam principale sequitur modum: ut si quod iuste est bonum est: et iustitia bona est. Accidentia quoque comitatur id quod subiectum est: ut si album est corpus est. Que cum ita sint: conditionalis quoque simplicis ex duabus affirmationibus copulate illa fere diuisio est questionis quod in ea vel de genere vel de proprio vel de diffinitione vel de accidente: vel de causa atque effectu vel toto ac partibus vel de modo ac principali nomine dubitetur. Atque hec de ea questione intelligenda sunt: que cum sit hypothetica simplex: ex duabus tamen iungitur affirmatiuis. In hisdem et differentijs illas quoque consistere necesse est questiones: que ab his veniunt propositiuis que ex utraque negatiue consistunt. Nam si genus non est species non est. Item si differentia vel diffinitio vel proprium non sit: species non erit. Et de ceteris quod que superius dicta sunt: eodem modo considerandum est. Quicquid enim antecedit ut aliud consequatur: si id quod sequitur non fuerit: nec illud est quod antecedit. Eax vero questionum que ex affirmatione et negatione consistunt: illa fere diuisio est: quod vel in diuersis generibus vel in diuersis speciebus vel in contrariis: vel in priuatiue atque habitu continentur: ut enim affirmatio ne negatio consequatur: aut diuersa ponitur genus: ut quod ab eo diuersus est abnuatur hoc modo. Si homo est albedo non est: vel si substantia est qualitas non est: vel si sub eodem genere diuersae species proponantur hoc modo. Si homo est equus non est: vel si contraria: si album est nigrum non est: vel si priuationes: si cecus est non videt: et postremo in omnibus: quecumque eadem non sunt euenit. Si unus est alterum non est. Ita ut proposita affirmationem negatio comitetur: aut diuersa erunt genera: aut diuersae species: aut contraria: aut priuatiua: vel quolibet alio modo sibi licet inconuenientia. Ut autem negationes affirmatio consequatur que erat quarta conditionalis propositio: nisi differentia fieri non potest nisi in his contrariis quod medio carent: et quorum alterum semper inesse necesse est hoc modo. Si dies non est nox est. Si tenebre non sunt lux est. Facta igitur predicatiuarum questionum ac conditionalium diuisione illud insuper videtur esse addendum: quod omnis questio vel ex ratione differendi vel ex naturali vel ex mortali trahitur speculatione. Ex differendi ratione hoc modo an affirmatio et negatio species sint enunciatio nis. Ex naturali ita an celum rotundum sit. Ex mortali sic: an virtus ad beatitudinem sola sufficiat. Preterea questio omnis vel simplex vel composita est. Simplex affirmatione et

Libet.

negatione diuidit ita vt totus alteri affirmare alteri negare necesse sit hoc modo. an celum rotundum sit nec ne. hic enim vna pars questionis affirmationem tenet alia negationem. Nam cum alter esse defendit affirmat: alter vero negat cum non esse concedit. Composita vero questio est que in plures distrahit affirmationes hoc modo. vtrum celum rotundum sit an quadratum an longum an cuiuslibet alterius forme. hic enim plures affirmationes probare necesse est: qui diuersa defendunt. Et de questione quod quantum ad presens negotium pertinebat sufficenter dictus est.

Conclusio vero est argumentis approbata propositio: de qua eadem fere dici possunt que de propositione. Que quoniam diligenter superius explicata sunt: de argumento deinceps tractandum videtur.

Argumentum est ratio rei dubie faciens fidem. Hanc semper notiozem questione esse necesse est. Nam si ignota notis probantur argumentum vero rem dubiam probat: necesse est vt quod ad fidem questionis affertur: sit ipsa notius questione.

Argumentorum vero omnium alia sunt probabilia et necessaria: alia vero probabilia et non necessaria: alia sunt necessaria sed non probabilia: alia nec probabilia nec necessaria. Probabile vero est quod videtur vel omnibus vel pluribus vel sapientibus: et bis vel omnibus vel pluribus vel maxime notis atque precipuis: vel quod vnicuique artifici secundum propriam facultatem: vt de medicina medico: gubernatori de nauibus gubernandis: et propterea quod videtur ei cum quo sermo conferitur: vel ipsi qui iudicat. In quo nihil attingit an verum falsumue sit argumentum: si tamen verisimilitudinem tenet. Necessarium vero est quod vt dicitur ita est atque aliter esse non potest. Et probabile ac necessarium est: vt hoc est si quid cuiuslibet rei sit additum totum maius efficitur. Neque enim quisquam ab hac propositione dissentiet: et ita sese habere necesse est. Probabilia vero ac non necessaria sunt: quibus facile animus acquiescit: sed veritatis non tenent firmitatem: vt hoc. Si mater est diligit filium: necessaria vero sunt ac non probabilia: que ita sese vt dicuntur habere necesse est: sed bis facile non consentit auditor: vt est hoc obiectu lunaris corporis solis euenire defectum. Neque necessaria vero neque probabilia sunt que neque in opinione hominum neque in veritate consistunt: vt hoc habere que non perdidit cornua Diogenem. Quoniam habet id quisque quod non perdidit. Que quidem nec argumenta dici possunt. Argumenta enim rei dubie faciunt fidem. Ex his autem nulla fides est que neque in opinione hominum neque in veritate sunt constituta. Dicit autem potest nec illa quidem esse argumenta que cum sint necessaria: minime tamen audientibus approbantur. Nam si rei dubie sit fides: cogendus est animus auditoris per ea quibus ipse acquiescit: vt conclusio quod non dicitur probat possit accedere. Quod si que tamen necessaria sunt ac non probabilia: non probat ille que iudicat: necesse est: vt ne illud quidem probet: quod ex huiusmodi ratione consistit. Itaque euenit ex huiusmodi ratione que tamen necessaria sunt ac non probabilia: non esse argumenta. Sed non est ita atque hec interpretatio non recte probabilis intelligentiam tenet. Ea sunt enim probabilia: quibus sponte atque vltro consensus adiungitur scilicet vt mox audita sunt approbantur. Que vero necessaria sunt ac non probabilia: alijs probabilibus ac necessarijs argumentis antea demonstrantur. Cognitaque et credita ad alterius rei de qua dubitatur: fide trahuntur: vt sunt speculationes omnes. id est theorematata que in geometria considerantur. Nam que illic proponunt non sunt talia: vt bis sponte

animus discentis accedat. Sed quoniam demonstratur alijs argumentis: illa quoque scita et cognita ad aliarum speculationum fidem ducuntur. Itaque que probabilia non sunt sed necessaria: bis quidem auditoribus: quibus nondum demonstrata sunt: ad aliud aliquid approbandum argumenta esse non possunt. His autem qui prioribus rationibus eorum: quibus non acquiescebant fidem ceperunt possunt ea si quid ambigunt ad argumentum vocare.

Sed quia quatuor facultatibus differendi omne artificium continetur: dicendum est: que quibus vt nouerit argumentis vt cui potissimum discipline locorum atque argumentorum paretur vbertas euidenter appareat. Quatuor igitur facultatibus earumque velut opificibus differendi omnis ratio subiecta. id est dialectico: oratori: philosopho sophiste. Quorum quidem dialecticus atque orator in communibus argumentorum materia versantur. Uterque enim siue sint necessaria siue minime: probabilia tamen argumenta sequitur. His igitur ille due species argumenti famulatur que sunt probabile ac necessarium: probabile ac non necessarium. Philosophus vero ac demonstrator de sola veritate pertractat: atque ideo siue sint probabilia siue non: nihil refert dum non sint necessaria. His quoque duabus speciebus vti argumenti que sunt probabile ac necessarium: necessarium ac non probabile. Patet igitur in quo philosophus ab oratore ac dialectico in propria consideratione dissidet in eo scilicet quod illis probabilitatem huius veritatem constat esse oppositam. Quarta vero species argumenti: que neque argumentum quidem recte dici potest: vt monstrauimus supra: sophisticis solis attributa est. Topicorum vero intentio est verisimilium argumentorum copiam demonstrare. Designatis enim locis et quibus probabilia argumenta ducuntur: habundant et copiosa necesse est fiat materia differendi. Sed quoniam (vt supra dictum est) probabilis argumentorum alia sunt necessaria alia non necessaria cum loca probabilium argumentorum dicuntur: euenit vt necessariorum quoque dicantur. Quo fit vt oratoribus quidem ac dialecticis hec principaliter facultas pareatur. Secundo vero loco philosophis. Nam in quo probabilia quidem omnia conquiruntur: dialectici atque oratores inuuantur. In quibus vero probabilia ac necessaria docetur philosophie demonstrationi ministratur vbertas. Non modo igitur dialecticus atque orator: verum et demonstrator: ac vere argumentationis effector habet quod expositis locis possit assumere cum iter argumentorum probabilium locos necessario: quoque principia traditione mixta contineat. Illa vero argumenta: que necessaria que dicitur sunt: sed non probabilia: atque illud vltimum genus. id est nec probabile nec necessarium: a proposito operis consideratione seiunctum est: nisi quod iter dum quidam sophistici loci exercendi gratia lectoribus adhibebuntur. Quos circa topicorum pariter vtilitas intentioque patefacta est. His enim et dicendi facultas et investigatio veritatis augetur. Nam que dialecticos atque oratores locorum inuunt agnitio: orationi per inuentionem copiam prestat: que vero necessariorum doctrinam locorum philosophis tradit: vnam quodammodo veritatis illustrat. Quo magis peruestiganda est rimandaque iterius disciplina: eaque cum cognitione percepta sit: vsu atque exercitatione firmata. Magnam enim aliqd locorum consideratio pollicetur. id est inueniendi vias. Quod quidem hi que sunt huius rationis expertes: soli prioribus deputant ingenio neque intelligunt quantum hac consideratione queratur que in artem redigit vim et potestatem nature. Sed de his haec ctenus. Nunc de reliquis explicemus.

De differentijs